

389

387

393

383

398

378

438

338

488

288

Ende

Anfang

374

etc.: Salve regina cantavimus cum aliis etc. Valde jocundi in
hoc sacro loco fuimus, et cum jubilo cantavimus. Numquam
audivi tam suavem et bonam resonantiam in aliqua ecclesia,
sicut in illa et in specu inventionis crucis sanctae, ut dixi
supra fol. 117. A. Aliquando solus in hoc ecclesia fui per
horam, vel duas, et ut mihi placuit oravi et cantavi, nec
potest vox cantantis superius audiri. Notavi hoc aliquoties,
quia aliquoties in illa ecclesia fui, quod semper peregrini
laetiores et jocundiores sunt in hac ecclesia, quam in aliis
locis. Et merito. Ex hoc enim loco gloriosa Virgo coelos
ascendit, et ineffabiliter sublimata cum Christo regnat in
aeternum. Regina mundi, inquit Jeronymus, in hoc loco de
praesenti saeculo nequam eripitur, ideo gaudete, quia secura
de sua immarcessibili gloria hinc ad coeli venit palatium, quam
idecirco de praesenti saeculo transtulit, ut pro peccatis nostris
fiducialiter intercedat. Nulli etiam dubium, quin in hora assump-
tionis beatissimae Virginis omnem coelestem Jerusalem exul-
tasse ineffabili laetitia, et cum omni gratulatione jubilasse.
Creditur enim, quod Salvator per se totus festinans huc cum
universa coelestis regni militia venit, et anima corpori reunita
eam resuscitavit, et cum gaudio secum in throno collocavit.
Nec credendum est, quod casu beatissima Virgo Maria elegerit
suam sepulturam in valle Josaphat, sed hac ratione, ut pec-
cator metuens astare in hac valle futuro tremendo judicio,
nunc ipsam vallem praeocupet, et matrem nunc imploret, in
obsequium ejus se exhibeat, et revocari in hanc vallem non
timeat, si favorem matris judicis obtinebit. Dereliquit autem
heata Virgo pro nostra consolatione in sepulchro sudarium et
vestes, quae per Juvenalem, patriarcham Jerosolymitanum ad
instantiam imperatricis Constantinopolim translatae sunt.

Descriptio ecclesiae et sepulchri beatae Virginis in
valle Josaphat.

Ecclesia beatae Virginis in valle Josaphat dicitur ecclesia
assumptionis, et juxta eam erat quondam monasterium mona-
chorum, Ordinis sancti Benedicti, et Abbas infulatus, cuius
tamen monasterii nec vestigia cernuntur jam, sed horti olivarum